

presse fricatis dare medicamentum pondere X I ex aquae cyathis tribus,  
 deinde artus constringere et interdum olfactariis reficere et commandu-  
 catione olivarum contusarum earumque rerum, quae stomachum con-  
 stringere solent, interim subrectos; recubantes deinde, cum deiecerint,  
 solutis vinculis rursus perungere et fricare totum corpus atque ita varie- 5  
 tate apta ciborum stomachum proritare, ut halica ex mulso malorum  
 Cydoneorum suco facto vel ex granatorum per se malorum suco vel, si  
 quos magis delectabit, ex frigida posca; secundum quae apala ova prod-  
 erint et intubi cocti vel crudi ex aceto, item lactucae, caules apio similis ex  
 posca decoctus, ungula madida, purpurae, murices, pelorides, vulva; 10  
 pomorum sorba, mala orbiculata, Scandiana, pira Crustumina, Segnina  
 olla reposita, item uvae ex olla. haec enim et huiusmodi quae sunt confir-  
 mant stomachum, quibus et insequentibus diebus uti oportebit paulatim  
 ad consuetudinem progredientes, donec prope omni molestia liberentur.

CV. Est stomachi vitium, quod cum siccitate et ardore eius et siti in- 15  
 requiebili et, ut ita dicam, inextinguibili consistit: auonen Graeci vocant